CADERNO DE TRABALLO
LATÍN 1º BAC

IES Eduardo Pondal (Compostela)

Alumn@_____

APUNTAMENTOS



ROMA
OLIM
MILO
AMOR



PASTOR ET OVES

1 Hic vir, quī in campō ambulat, pāstor Iūliī est. Pāstor nōn sōlus est in campō, nam canis niger cum eō est et centum ovēs: ūna ovis nigra et ūndēcentum ovēs albae. Pāstor ūnam ovem nigram et multās ovēs albās habet. Is est dominus ovis nigrae et ovium albārum. Pāstor ovī nigrae et ovibus albīs aquam et cibum dat. Cum ūnā ove nigrā et ūndēcentum ovibus albīs pāstor in campō est.

Cibus ovium est herba, quae in campō est. In rīvō est aqua. Ovēs in campō herbam edunt, et aquam bibunt ē rīvō, quī inter campum et silvam est. Canis herbam nōn ēst, neque pāstor herbam ēst. Cibus pāstōris est pānis, quī inest in saccō. Iūlius pāstōrī suō pānem dat. Pāstor canī suō cibum dat: canis ā pāstōre cibum accipit. Itaque canis pāstōrem amat.

ūn-dē-centum = IC (99)

albus -a -um ↔ niger -gra -grum

	sing	*plūr*
nōm	ovis	ovēs
acc	ovem	ovēs
gen	ovis	ovium
dat	ovī	ovibus
abl	ove	ovibus

rīvus = parvus fluvius

ēst edunt
vir pānem *ēst*
virī pānem *edunt*

	sing	*plūr*
nōm	pāstor	pāstōr*ēs*
acc	pāstōr*em*	pāstōr*ēs*
gen	pāstōr*is*	pāstōr*um*
dat	pāstōr*ī*	pāstōr*ibus*
abl	pāstōr*e*	pāstōr*ibus*

ūnus mōns (< monts)
duo mont*ēs*

vallis ↔ mōns

ūna arbor
duae arbor*ēs*

lupus

suprā *prp+acc*

nūbēs

ūna nūb*ēs*
duae nūb*ēs*

sub *prp+abl* ↔ suprā
umbra ↔ sōl

umbram petit = ad umbram adit

pāstor in umbrā iacet

ovēs albās relinquit = ab ovibus albīs abit

In Italiā sunt multī pāstōrēs. Quī viā Appiā Rōmā Brundisium it multōs pāstōrēs videt in campīs. Numerus pāstōrum magnus est. Dominī pāstōribus suīs cibum dant. Canēs ā pāstōribus cibum accipiunt.

Post campum montēs sunt. Inter montēs sunt vallēs. In campō est collis. (Collis est mōns parvus.) In colle arbor est. In silvā multae arborēs sunt. Ovēs nōn in silvā neque in monte, sed in campō sunt. In silvā est lupus. Pāstor et ovēs lupum timent, nam lupus ovēs ēst. In silvīs et in montibus lupī sunt, in vallibus nūllī sunt lupī.

Sōl in caelō est suprā campum. In caelō nūlla nūbēs vidētur. Caelum est suprā terram. Montēs et vallēs, campī silvaeque sunt in terrā. In caelō sōl et nūbēs sunt, sed suprā hunc campum caelum sine nūbibus est. Itaque sōl lūcet in campō.

Pāstor in sōle ambulat. Sub arbore autem umbra est. Pāstor, quī nūllam nūbem videt in caelō, cum cane et ovibus ad arborem adit. Pāstor umbram petit. Etiam ovēs umbram petunt: post pāstōrem ad arborem adeunt. Pāstor ovēs suās ad arborem dūcit.

Ecce pāstor in umbrā arboris iacet cum cane et ovibus. Arbor pāstōrī et canī et ovibus umbram dat; sed ovis nigra cum paucīs aliīs in sōle iacet. Pāstor, quī fessus est, oculōs claudit et dormit. Canis nōn dormit.

Dum pāstor in herbā dormit, ovis nigra ab ovibus albīs *II* abit et ad rīvum currit. Ovis nigra ovēs albās relinquit et rīvum petit; aquam bibit ē rīvō, et in silvam intrat!

Canis lātrat: "Baubau!" Pāstor oculōs aperit, ovēs aspicit, ovem nigram nōn videt. Pāstor ovēs numerat: "Ūna, duae, trēs, quattuor, quīnque..... ūndēcentum." Numerus ovium est ūndēcentum, nōn centum. Nūllae ovēs albae absunt, sed abest ovis nigra. Pāstor et canis ovēs albās relinquunt et silvam petunt. Pāstor saccum cum pāne in colle relinquit.

Dum cēterae ovēs ā pāstōre numerantur, ovis nigra in magnā silvā, ubi via nūlla est, errat. Ovis, quae iam procul ā pāstōre cēterīsque ovibus abest, neque caelum neque sōlem suprā sē videt. Sub arboribus sōl nōn lūcet. Ovis nigra in umbrā est.

vestīgium

In terrā inter arborēs sunt vestīgia lupī. Ubi est lupus ipse? Nōn procul abest. Ovis vestīgia lupī in terrā videt, neque lupum ipsum videt. Itaque ovis lupum nōn timet. Parva ovis sine timōre inter arborēs errat.

lup*us* ips*e*, *acc* lup*um* ips*um*

timor -ōris (*gen*) *m*
< timet

Lupus autem prope ovem est. Pāstor et canis procul ab eā sunt. Lupus, quī cibum nōn habet, per silvam errat. Lupus in silvā cibum quaerit, dum pāstor et canis ovem nigram quaerunt.

Pāstor: "Ubi est ovis nigra? Age! quaere ovem, canis, et reperī eam!" Canis ovem quaerit et vestīgia eius in terrā reperit, neque ovem ipsam reperit. Canis lātrat.

ovis ips*a*, *acc* ovem ips*am*

Pāstor: "Ecce vestīgia ovis. Ubi est ovis ipsa? Dūc mē ad eam, canis!" Canis dominum suum per silvam dūcit ad ovem, sed ovis procul abest.

dūcit dūcunt
dūc! dūcite! (*imp*)

Lupus ululat: "Uhū!" Et ovis et canis lupum audiunt.

dēns

ūnus dēns (< dents)
duo dentēs

ac-currit < ad-currit

prope ↔ procul

clāmor -ōris *(gen) m*
< clāmat

pāstor ovem in umerōs
im-pōnit (< in-pōnit)

dēclīnātiō -ōnis *f (dēcl)*
< dēclīnat

modus -ī *m*: modō *abl*

-a	*-ae*
-am	*-ās*
-ae	*-ārum*
-ae	*-īs*
-ā	*-īs*

Canis currit. Ovis cōnsistit et exspectat dum lupus venit. Ovis bālat: "Bābā!"

Ecce lupus quī ante ovem est! Iam ovis lupum ipsum ante sē videt. Oculī lupī in umbrā lūcent ut gemmae et dentēs ut margarītae. Parva ovis oculōs claudit et dentēs lupī exspectat. Lupus collum ovis petit dentibus...

Sed ecce canis accurrit! Lupus sē ab ove vertit ad canem, quī ante lupum cōnsistit et dentēs ostendit. Lupus ululat. Canis lātrat. Ovis bālat.

Pāstor, quī iam prope est, clāmat: "Pete lupum!" Canis clāmōrem pāstōris audit, et sine timōre lupum petit. Lupus autem ovem relinquit et montēs petit.

Pāstor quoque accurrit et ovem suam, quae in terrā iacet, aspicit. In collō eius sunt vestīgia dentium lupī! Ovis oculōs aperit et ad pāstōrem suum bālat.

Pāstor laetus ovem in umerōs impōnit eamque portat ad cēterās ovēs, quae sine pāstōre in campō errant.

Procul in monte lupus ululat.

GRAMMATICA LATINA

Dēclīnātiō vocābulōrum

[I] Dēclīnātiō prīma.

Vocābulum 'īnsula' dēclīnātur hōc modō:

	Singulāris	*Plūrālis*
Nōminātīvus	īnsul|*a*	īnsul|*ae*
Accūsātīvus	īnsul|*am*	īnsul|*ās*
Genetīvus	īnsul|*ae*	īnsul|*ārum*
Datīvus	īnsul|*ae*	īnsul|*īs*
Ablātīvus	īnsul|*ā*	īnsul|*īs*

Hōc modō dēclīnantur multa vocābula fēminīna. Exempla: fēmina, puella, fīlia, domina, ancilla, familia, littera, pecūnia, mēnsa, vīlla, aqua, via, silva, terra, cēt.

hōc modō : ut 'īnsula'

[II] Dēclīnātiō secunda.

	Sing.	*Plūr.*		*Sing.*	*Plūr.*		
Nōm. [A]	serv|*us*	serv|*ī*	[B]	verb|*um*	verb|*a*	*-us/-um*	*-ī/-a*
Acc.	serv|*um*	serv|*ōs*		verb|*um*	verb|*a*	*-um*	*-ōs/-a*
Gen.	serv|*ī*	serv|*ōrum*		verb|*ī*	verb|*ōrum*	*-ī*	*-ōrum*
Dat.	serv|*ō*	serv|*īs*		verb|*ō*	verb|*īs*	*-ō*	*-īs*
Abl.	serv|*ō*	serv|*īs*		verb|*ō*	verb|*īs*	*-ō*	*-īs*

[A] Ut 'servus' dēclīnantur vocābula masculīna: fīlius, dominus, fluvius, numerus, nummus, hortus, nāsus, mūrus, equus, saccus, umerus, amīcus, oculus, campus, rīvus, lupus, cēt.; puer, vir, liber (nōm. sing. sine *-us*).

[B] Ut 'verbum' dēclīnantur vocābula neutra: oppidum, exemplum, baculum, ōstium, cubiculum, speculum, mālum, ōrnāmentum, collum, pretium, caelum, vestīgium, cēt.

[III] Dēclīnātiō tertia.

	Sing.	*Plūr.*		*Sing.*	*Plūr.*		
Nōm. [A]	pāstor	pāstōr|*ēs*	[B]	ov|*is*	ov|*ēs*	*-/-is*	*-ēs*
Acc.	pāstōr|*em*	pāstōr|*ēs*		ov|*em*	ov|*ēs*	*-em*	*-ēs*
Gen.	pāstōr|*is*	pāstōr|*um*		ov|*is*	ov|*ium*	*-is*	*-um/-ium*
Dat.	pāstōr|*ī*	pāstōr|*ibus*		ov|*ī*	ov|*ibus*	*-ī*	*-ibus*
Abl.	pāstōr|*e*	pāstōr|*ibus*		ov|*e*	ov|*ibus*	*-e*	*-ibus*

[A] Ut 'pāstor' dēclīnantur haec vocābula: sōl sōlis, timor -ōris, clāmor -ōris (masc.); arbor -oris (fēm.); cēt.

[B] Ut 'ovis' dēclīnantur haec vocābula: pānis, collis, vallis, canis (gen. plūr. can*um*); nūbēs -is (nōm. sing. *-ēs*); mōns montis, dēns dentis (nōm. sing. *-s* < *-ts*); et alia multa. Fēminīna sunt: ovis, vallis, nūbēs; masculīna: pānis, collis, mōns, dēns.

PENSVM A

In Italiā sunt multī pāstōr–. Numerus pāstōr– magnus est. Pāstor Iūliī ūnum can– et multās ov– habet. Pāstor est domi-

Vocābula nova:
campus
pāstor
canis
ovis
cibus
herba
rīvus
pānis
mōns
vallis
collis
arbor
silva
lupus
sōl
caelum
terra
nūbēs
umbra
vestīgium
timor
dēns
clāmor
modus
niger
albus
ūndēcentum
ēst edunt
bibit
lūcet
petit
dūcit
iacet
relinquit
lātrat
errat
quaerit
reperit
ululat
bālat
accurrit
impōnit
ipse
procul
suprā
sub
dum
ut
dēclīnātiō
dēclīnat

nus can- et ov-. Can- et ov- pāstōr- amant. Cibus ov- est herba, cibus pāstōr- est pān-. Pāstor pān- ēst.

In coll- ūna arbor est. Pāstor cum can- et ov- ad arbor- it. Iam pāstor in umbrā arbor- iacet. Arbor pāstōr- et can- et ov- umbram dat, sed ov- nigra in sōl- iacet. Nūllae nūbante sōl- sunt. In silvā multae arbor- sunt, sub arbor- umbra est. Ov- nigra ā pāstōr- cēterīsque ov- discēdit. Canis ov- videt.

PENSVM B

Pāstor et centum — in — sunt. Pāstor ovibus aquam et — dat. Cibus ovium est —, cibus pāstōris est —. Pāstor pānem —. Ovēs herbam — et aquam — ē —.

Sōl —, nūlla — in caelō — hunc campum vidētur. In colle ūna — est, in — multae arborēs sunt. — arboribus umbra est. Pāstor ovēs suās ad arborem —. — pāstor in — arboris iacet, ovis nigra cēterās ovēs — et silvam —. In terrā sunt — lupī; lupus — nōn procul abest. Lupus in silvā cibum —, dum pāstor et — ovem quaerunt.

PENSVM C

Num pāstor sōlus in campō est?
Quot ovēs habet pāstor?
Ā quō canis cibum accipit?
Suntne montēs prope pāstōrem?
Ubi sunt vallēs?
Quid est collis?
Quō it pāstor?
Cūr pāstor umbram petit?
Quō it ovis nigra?
Quid ovis in terrā videt?
Cūr lupus ovem nigram nōn ēst?



MILES ROMANVS



arma Rōmāna

1 Quīntus est frāter Mārcī. Iūlia soror eius est. Mārcus et Quīntus frātrēs Iūliae sunt. Mārcus patrem et mātrem, frātrem et sorōrem habet. Nōmen patris est 'Iūlius', mātris 'Aemilia'; 'Quīntus' est nōmen frātris, 'Iūlia' so-
5 rōris.

frāter -tris *m*
soror -ōris *f*
pater -tris *m*
māter -tris *f*
nōmen -inis *n*

Mārcō ūna soror est. Iūliae duo frātrēs sunt. Nōmina frātrum sunt 'Mārcus' et 'Quīntus'. Patrī et mātrī ūna fīlia et duo fīliī sunt.

Mārcō (*dat*) ūna soror est = Mārcus ūnam sorōrem habet

Mātrī 'Aemilia' nōmen est. Quod nōmen est patrī? Eī
10 nōmen est 'Lūcius Iūlius Balbus'. Virō Rōmānō tria nōmina sunt. 'Lūcius' est praenōmen, id est nōmen prīmum; 'Balbus' cognōmen est. Fīliīs nōmina sunt 'Mārcus Iūlius Balbus' et 'Quīntus Iūlius Balbus'. 'Mārcus'

prae-nōmen -inis *n*

cognōmen -inis *n*

praenōmina Latīna:
A. = Aulus
C. = Gāius
D. = Decimus
L. = Lūcius
M. = Mārcus
P. = Pūblius
Q. = Quīntus
Sex. = Sextus
T. = Titus

et 'Quīntus' praenōmina sunt fīliōrum. Alia praenōmina Latīna sunt 'Aulus', 'Decimus', 'Gāius', 'Pūblius', 'Sextus', 'Titus'.

Aemiliae est ūnus frāter, cui 'Aemilius' nōmen est (praenōmen 'Pūblius', cognōmen 'Paulus'). Frāter Aemiliae est avunculus līberōrum. Aemilius autem procul ā sorōre suā abest. Itaque trīstis est Aemilia, quae frātrem suum amat.

avunculus -ī *m* = frāter mātris

trīstis ↔ laetus

Mārcus et Iūlia mātrem suam trīstem in hortum exīre vident et patrem interrogant: "Cūr māter nostra trīstis est?"

Iūlius: "Māter vestra trīstis est, quod Aemilius procul ab eā abest. Aemilius avunculus vester est, id est frāter mātris. Māter trīstis est, quod frātrem suum vidēre nōn potest."

vester -tra -trum (= tuus et tuus)

Mārcus: "Ubi est avunculus noster?"

Iūlius: "Avunculus vester est in Germāniā. Aemilius mīles est. In Germāniā multī sunt mīlitēs Rōmānī."

mīles -itis *m*

Iūlia: "Quid est mīles?"

Iūlius: "Mīles est vir quī scūtum et gladium et pīlum fert. Scūtum et gladius et pīlum sunt arma mīlitis Rōmānī. Mīles est vir armātus."

fert = portat
fert ferunt
armātus -a -um = quī arma fert

Iūlia: "Quid agunt mīlitēs Rōmānī in Germāniā?" *II*

Iūlius: "Mīlitēs nostrī in Germāniā pugnant."

Iūlia: "Meī quoque frātrēs pugnant."

pugnus -ī *m*

Iūlius: "Puerī pugnīs, nōn armīs pugnant. Mīlitēs pugnant gladiīs, pīlīs, hastīs."

Mārcus: "Num Aemilius et hastam et pīlum fert?"

Iūlius: "Aemilius pīlum tantum fert, is enim pedes est, nōn eques. Eques est mīles quī ex equō pugnat; quī pedibus pugnat pedes est. Equitēs hastās, peditēs pīla ferunt. Pīlum nōn tam longum est quam hasta, neque gladius peditis tam longus est quam gladius equitis. Pīlum Aemiliī sex pedēs longum est."

Mārcus: "Quam longus est gladius eius?"

Iūlius: "Duōs pedēs longus est."

Mārcus: "Duōs pedēs tantum? Cūr tam brevis est gladius?"

Iūlius: "Quod gladius brevis nōn tam gravis est quam gladius longus. Gladius equitis longior et gravior est quam peditis. Pedes, quī pedibus it multaque alia arma fert, gladium longum et gravem ferre nōn potest; itaque gladius eius brevis et levis est — brevior et levior quam is quī ab equite fertur. Etiam gladiī quī ā Germānīs feruntur longiōrēs et graviōrēs sunt quam Rōmānōrum ac pīla eōrum longiōra et graviōra quam nostra sunt."

Iūlia: "Quī sunt Germānī?"

Iūlius: "Germānī sunt hominēs barbarī quī Germāniam incolunt. Germānia est magna terra nōn procul ā Galliā; Gallia autem prōvincia Rōmāna est, ut Hispānia, Syria, Aegyptus. Prōvincia est pars imperiī Rōmānī, ut membrum pars corporis est; Rōma enim caput imperiī est, prōvinciae membra sunt. Germānia nōn est prōvincia Rōmāna. Flūmen Rhēnus Germāniam ā Galliā prō-

pedes -itis *m*

eques -itis *m*

I pēs
[= *29,6 cm*]

brevis ↔ longus

gladius brevis nōn tam gravis est quam gladius longus

ferre (*īnf*) = portāre

levis ↔ gravis

fertur feruntur

Germānī -ōrum *m pl*

ac = atque
atque ante *a,e,i,o,u,h*
ac/atque ante cēterās litterās

barbarus -a -um = nec Rōmānus nec Graecus

incolere: terram i. = in terrā habitāre

pars (< parts) partis *f*

dīvidere

patria -ae *f*: p. nostra = terra/oppidum patrum nostrōrum

contrā *prp+acc*

pārēre/imperāre + *dat*

hostis -is *m* ↔ amīcus
bellum -ī *n*

op-pugnāre = pugnāre contrā

exercitus -ūs *m*:

sing	*nōm*	exercit*us*
	acc	exercit*um*
	gen	exercit*ūs*
	dat	exercit*uī*
	abl	exercit*ū*

dux ducis *m*
metuere = timēre

plūr	*nōm*	exercit*ūs*
	acc	exercit*ūs*
	gen	exercit*uum*
	dat	exercit*ibus*
	abl	exercit*ibus*

Hispānī -ōrum *m pl*
Gallī -ōrum *m pl*

mīlitāre = mīles esse



castra -ōrum *n pl* (vocābulum *plūrāle tantum*)

vinciā dīvidit. Rhēnus ac Dānuvius flūmina, quae Germāniam ab imperiō Rōmānō dīvidunt, fīnēs imperiī nostrī sunt. Germānia est patria Germānōrum, ut Rōma nostra patria est."

Iūlia: "Cūr mīlitēs Rōmānī contrā Germānōs pugnant? Suntne Germānī hominēs improbī?"

Iūlius: "Mīlitēs nostrī contrā Germānōs pugnant, quod Germānī amīcī Rōmānōrum nōn sunt nec Rōmānīs pārent. Germānī hostēs Rōmānōrum sunt, ac bellum est inter Germānōs et Rōmānōs. Germānī exercitum nostrum oppugnant."

Iūlia: "Quid est 'exercitus'?"

Iūlius: "Exercitus est magnus numerus mīlitum quī contrā hostēs dūcitur. Quī exercitum dūcit dux exercitūs est. Dux exercituī imperat, exercitus ducī suō pāret, nam dux ab exercitū metuitur.

"In Germāniā et in Britanniā sunt magnī exercitūs Rōmānī quī contrā exercitūs hostium pugnant. Mīlitēs et ducēs exercituum Rōmānōrum ab hostibus metuuntur. In Hispāniā et in Galliā nōn multī sunt mīlitēs Rōmānī, nam Hispānī et Gallī, quī eās prōvinciās incolunt, iam exercitibus nostrīs pārent. In exercitibus Rōmānīs etiam Hispānī et Gallī multī mīlitant, quī et alia arma et arcūs sagittāsque ferunt."

Iūlia: "Ubi habitat Aemilius?" *III*

Iūlius: "Aemilius in castrīs habitat mīlle passūs ā fīne imperiī. Castra sunt mīlitum oppidum."



castra Rōmāna



vāllum -ī *n*

fossa -ae *f*

Mārcus: "Quam longus est passus?"

Iūlius: "Ūnus passus est quīnque pedēs, ergō mīlle passūs sunt quīnque mīlia pedum. In castrīs Aemiliī sex mīlia mīlitum habitant. Nūllae fēminae aut puerī illīc habitant, nec enim fēminae puerīque mīlitāre possunt. Circum castra fossa et vāllum longum et altum est."

Mārcus: "Quam altum est vāllum castrōrum."

Iūlius: "Prope decem pedēs altum est, et duo mīlia passuum longum. Quattuor portae per vāllum in castra dūcunt. Inter duās portās est via lāta, quae castra in duās partēs dīvidit; ea via centum pedēs lāta est.

"In bellō portae castrōrum clauduntur. Cum exercitus Germānōrum castra oppugnat, Rōmānī castra dēfendunt: vāllum ascendunt ac pīla in Germānōs iaciunt. Illī autem nec pīla in castra iacere possunt, quod fossa nimis lāta et vāllum nimis altum est, nec vāllum ascendere, quod Rōmānī pīlīs et gladiīs vāllum dēfendunt. Hostēs castra nostra expugnāre nōn possunt.

"Ecce portae aperiuntur atque equitātus noster in hostēs impetum facit. Barbarī perterritī, quī impetum equitātūs sustinēre nōn possunt, arma ad terram iaciunt atque in magnās silvās fugiunt.

passus -ūs *m*: I passus = V pedēs *[1,48 m]*

mīlia -ium *n pl* (+ *gen pl*): mīlle (M) hominēs; duo *mīlia* (MM/Īī) homin*um*
puerī = puerī et puellae

altus -a -um

lātus -a -um

in bellō = cum bellum est
dēfendere ↔ oppugnāre

iacere -it -iunt
in (+ *acc*) = contrā

ex-pugnāre
equitātus -ūs *m* = equitum numerus (pars exercitūs)
impetus -ūs *m*: impetum facere in hostem = hostem armīs petere, oppugnāre
fugere -it -iunt

metus -ūs *m* = timor



impetus hostium

"Mīles Rōmānus, quī hostem armātum accurrere videt, nōn ab eō fugit, sed armīs sē dēfendit. Mīlitēs Rōmānī fortēs sunt. Mīles fortis hostem nōn metuit, sed sine metū impetum in hostem facit. Aemilius, avunculus vester, mīles fortis est.

"Circum imperium Rōmānum multī sunt hostēs. Castra et oppida nostra ab hostibus oppugnantur neque expugnantur, nam mīlitēs nostrī prōvinciās ac patriam nostram ā Germānīs et ab aliīs hostibus dēfendunt."

Mārcus: "Etiam Germānī suam patriam dēfendunt."

Iūlius: "Sed patria nostra pulchrior est quam illōrum! Atque Germānī hominēs barbarī sunt."

Mārcus: "Nōnne fortēs sunt Germānī?"

Iūlius: "Fortēs sunt illī, sed Rōmānī fortiōrēs sunt, nec arma Germānōrum tam bona sunt quam nostra. Scūtum eōrum nimis parvum est, pīlum nimis longum et grave; nec enim pīlum tam grave procul iacī potest. Itaque pīlum nostrum breve et leve est — brevius et levius quam pīlum Germānōrum. Mīlitēs Rōmānī bene pugnant, quod pīla eōrum brevia et levia sunt, nōn longa et gravia ut Germānōrum. Patria nostra bonīs armīs dēfenditur. Nūllus hostis Rōmam expugnāre potest."

Mārcus: "Cūr Rōmānī Germāniam nōn expugnant?"

Iūlius: "Germānia nōn sōlum armīs dēfenditur, sed etiam altīs montibus, magnīs silvīs atque lātīs et altīs flūminibus."

GRAMMATICA LATINA

Dēclīnātiō quārta

'Exercitus' (*m*) dēclīnātur hōc modō (vidē exempla in versibus 80–89 huius capitulī):

	Singulāris	*Plūrālis*
Nōminātīvus	exercit|*us*	exercit|*ūs*
Accūsātīvus	exercit|*um*	exercit|*ūs*
Genetīvus	exercit|*ūs*	exercit|*uum*
Datīvus	exercit|*uī*	exercit|*ibus*
Ablātīvus	exercit|*ū*	exercit|*ibus*

Ut 'exercitus' dēclīnantur masculīna: arcus, passus, equitātus, impetus, metus, versus, cēt.; fēminīnum: manus.

versus -ūs *m*: cap. XII 142 versūs habet

-us *-ūs*
-um *-ūs*
-ūs *-uum*
-uī *-ibus*
-ū *-ibus*

Adiectīvum

[I/II] Dēclīnātiō prīma et secunda.

Mōns alt*us*. Arbor alt*a*. Vāllum alt*um*.

'Alt|*us -a -um*' est adiectīvum prīmae et secundae dēclīnātiōnis. Masculīnum 'alt*us*' dēclīnātur ut 'servus', fēminīnum 'alt*a*' ut 'fēmina', neutrum 'alt*um*' ut 'oppidum'.

ad-iectīvum -ī *n* (*adi*)

alt*us*
alt*a*
alt*um*

	Singulāris			*Plūrālis*		
	Masc.	Fēm.	Neutr.	Masc.	Fēm.	Neutr.
Nōm.	alt|*us*	alt|*a*	alt|*um*	alt|*ī*	alt|*ae*	alt|*a*
Acc.	alt|*um*	alt|*am*	alt|*um*	alt|*ōs*	alt|*ās*	alt|*a*
Gen.	alt|*ī*	alt|*ae*	alt|*ī*	alt|*ōrum*	alt|*ārum*	alt|*ōrum*
Dat.	alt|*ō*	alt|*ae*	alt|*ō*	alt|*īs*	alt|*īs*	alt|*īs*
Abl.	alt|*ō*	alt|*ā*	alt|*ō*	alt|*īs*	alt|*īs*	alt|*īs*

-us *-a* *-um*
-um *-am* *-um*
-ī *-ae* *-ī*
-ō *-ae* *-ō*
-ō *-ā* *-ō*
-ī *-ae* *-a*
-ōs *-ās* *-a*
-ōrum *-ārum* *-ōrum*
-īs *-īs* *-īs*
-īs *-īs* *-īs*

Hōc modō dēclīnantur haec adiectīva: albus, bonus, fessus, foedus, īrātus, laetus, lātus, longus, magnus, malus, meus, novus, plēnus, prīmus, sānus, tuus, cēt.; (-er -ra -rum:) pulcher, aeger, niger, ruber, noster, vester, cēt.

-er *-ra* *-rum*

[III] Dēclīnātiō tertia.

Gladius brev*is*. Via brev*is*. Pīlum brev*e*.

'Brev*is* -*e*' est adiectīvum tertiae dēclīnātiōnis. Masculīnum et fēminīnum 'brev*is*' dēclīnātur ut 'ovis' (sed abl. sing. -*ī*), neutrum 'brev*e*' ut 'mare'.

brev*is*
brev*e*

dēcl. III: fēm. = masc.

	Singulāris		*Plūrālis*	
	Masc./Fēm.	*Neutr.*	*Masc./Fēm.*	*Neutr.*
Nōm.	brev|*is*	brev|*e*	brev|*ēs*	brev|*ia*
Acc.	brev|*em*	brev|*e*	brev|*ēs*	brev|*ia*
Gen.	brev|*is*	brev|*is*	brev|*ium*	brev|*ium*
Dat.	brev|*ī*	brev|*ī*	brev|*ibus*	brev|*ibus*
Abl.	brev|*ī*	brev|*ī*	brev|*ibus*	brev|*ibus*

-is -e -ēs -ia
-em -e -ēs -ia
-is -is -ium -ium
-ī -ī -ibus -ibus
-ī -ī -ibus -ibus

Hōc modō dēclīnantur haec adiectīva: brevis, fortis, gravis, levis, tenuis, trīstis, cēt.

Exempla:

Pedes fort*is* Rōmān*us* gladium brev*em* et lev*em*, scūtum magn*um* et grav*e* fert; eques hastam fert long*am* et grav*em*. Peditī fortī Rōmānō est gladius brev*is* et lev*is*, scūtum magn*um* et grav*e*; equitī hasta long*a* et grav*is* est. Pedes gladiō brevī et levī, scūtō magnō et gravī armātus est; eques hastā longā et gravī pugnat.

Peditēs fortēs Rōmānī gladiōs brevēs et levēs, scūta magn*a* et grav*ia* ferunt; equitēs hastās ferunt longās et gravēs. Peditibus fort*ibus* Rōmānīs sunt gladiī brevēs et levēs, scūta magn*a* et grav*ia*; equitibus hastae long*ae* et gravēs sunt. Peditēs gladiīs brev*ibus* et lev*ibus*, scūtīs magnīs et grav*ibus* armātī sunt; equitēs hastīs longīs et gravībus pugnant.

comparātīvus (*comp*)

Comparātīvus

Hic mūrus alt*ior* est quam ille.

Hoc vāllum alt*ius* est quam illud.

alt*ior*
alt*ius*

'Alt*ior -ius*' comparātīvus est. Comparātīvus est adiectīvum dēclīnātiōnis tertiae:

	Singulāris:		*Plūrālis:*	
	Masc./Fēm.	*Neutr.*	*Masc./Fēm.*	*Neutr.*
Nōm.	alt*ior*	alt*ius*	alt*iōr*|*ēs*	alt*iōr*|*a*
Acc.	alt*iōr*|*em*	alt*ius*	alt*iōr*|*ēs*	alt*iōr*|*a*
Gen.	alt*iōr*|*is*	alt*iōr*|*is*	alt*iōr*|*um*	alt*iōr*|*um*
Dat.	alt*iōr*|*ī*	alt*iōr*|*ī*	alt*iōr*|*ibus*	alt*iōr*|*ibus*
Abl.	alt*iōr*|*e*	alt*iōr*|*e*	alt*iōr*|*ibus*	alt*iōr*|*ibus*

-ior -ius
-iōrem -ius
-iōris -iōris
-iōrī -iōrī
-iōre -iōre
-iōrēs -iōra
-iōrēs -iōra
-iōrum -iōrum
-iōribus -iōribus
-iōribus -iōribus

Exempla: brevior, fortior, gravior, levior, longior, pulchrior.

Gladius equitis long*ior* et grav*ior* est quam peditis. Eques gladium long*iōrem* et grav*iōrem* fert quam pedes. Eques gladiō long*iōre* et grav*iōre* pugnat.

Gladiī equitum long*iōrēs* et grav*iōrēs* sunt quam peditum. Equitēs gladiīs long*iōribus* et grav*iōribus* pugnant.

Pīlum brev*ius* et lev*ius* est quam hasta. Pīla brev*iōra* et lev*iōra* sunt quam hastae.

Dēlia ancilla pulchr*ior* est quam Syra. Lēander, quī ancillae pulchr*iōris* amīcus est, ancillae pulchr*iōrī* rosam dat. Quid pulchr*ius* est quam rosa?

Mīlitēs Rōmānī fort*iōrēs* sunt quam hostēs. Dux Rōmānus mīlitibus fort*iōribus* imperat quam dux hostium. Ille dux mīlitum fort*iōrum* est.

PENSVM A

Pīlum ē man– iacitur, sagitta ex arc–. In exercit– Rōmānīs multī Gallī mīlitant, quī arc– ferunt. Equitāt– sine met– impet– in hostēs facit, neque hostēs impet– equitāt– sustinēre possunt. Mīlle pass– sunt quīnque mīlia pedum. Via Latīna CL [150: centum quīnquāgintā] mīlia pass– long– est.

Rāmus tenu– puerum crass– sustinēre nōn potest, nam puer crass– grav– est. Ūnum mālum grav– nōn est, nec duo māla grav– sunt, sed saccus plēn– mālōrum grav– est. Lēander saccum magn– et grav– portat. In saccō grav– sunt māla. Servī saccōs grav– portant. In saccīs grav– sunt māla et pira.

Saccus Lēandrī grav– est quam Syrī, nam māla grav– sunt quam pira. Via Appia long– est quam via Latīna. Via Appia et via Aurēlia long– sunt quam via Latīna. Quīntus crass– est quam Mārcus. Lēander saccum grav– quam Syrus portat. In saccō grav– māla sunt.

Hoc pīlum long– et grav– est quam illud. Haec pīla long– et grav– sunt quam illa.

Vocābula nova:
frāter
soror
nōmen
praenōmen
cognōmen
avunculus
mīles
scūtum
gladius
pīlum
arma
arcus
sagitta
pugnus
hasta
pedes
eques
pars
fīnis
patria
hostis
bellum
exercitus
dux
castra
passus
fossa
vāllum

equitātus
impetus
metus
versus
mīlia
trīstis
armātus
brevis
gravis
levis
barbarus
altus
lātus
fortis
vester
ferre
pugnāre
incolere
dīvidere
oppugnāre
metuere
mīlitāre
dēfendere
iacere
expugnāre
fugere
contrā
ac
adiectīvum
comparātīvus

PENSVM B

Mārcus — Quīntī est. Quīntus ūnum frātrem et ūnam — habet. 'Iūlia' — sorōris est. Frāter Aemiliae est — līberōrum. Quīntus: "Ubi est avunculus noster?" Iūlius: "Avunculus — est in Germāniā."

Prōvincia est — imperiī Rōmānī. Rhēnus Germāniam ab imperiō Rōmānō —; Rhēnus — imperiī est. In Germāniā multī — Rōmānī sunt, quī contrā Germānōs —; Germānī enim — Rōmānōrum sunt. Mīlitēs Rōmānī scūta et — et pīla —. Mīlitēs in — habitant. Circum castra est — et —, quod x pedēs — est. Mīlitēs patriam ab hostibus —.

PENSVM C

Num 'Mārcus' cognōmen est?
Quot frātrēs habet Aemilia?
Quid agit Aemilius in Germāniā?
Quae arma pedes Rōmānus fert?
Quam longum est pīlum Aemiliī?
Ubi habitant mīlitēs Rōmānī?
Quī sunt Germānī et Gallī?
Estne Germānia prōvincia Rōmāna?
Quod flūmen Germāniam ā Galliā dīvidit?
Cūr hostēs castra expugnāre nōn possunt?
Num mīles fortis ab hoste fugit?
Cūr hasta procul iacī nōn potest?

TEXTOS PARA A ANÁLISE E A TRADUCIÓN

1. Villa et hortus

In Italia multae villae multique horti sunt. In villa multi servi habitant, nam dominus villae magnam familiam habet atque in villa cum familia habitat. In villa habitat dominus cum liberis et servis. Multae villae cum magnis hortis in Italia sunt. In hortis multas rosas videmus, nam multae rosae ibi sunt.

In villa ostium magnum et ostium parvum est, nam villa duo ostia et parvas fenestras habet. In villa atrium magnum est atque in atrio parvum impluvium aqua plenum. Villa peristylum magnum et pulchrum quoque habet, nam in villis magna et pulchra peristyla sunt. Sunt quoque in villa multa cubicula, ubi dominus, liberi et servi dormiunt. Servi in parvis cubiculis dormire solent, nam servorum cubicula parva sunt. Cubiculorum fenestrae parvae sunt

VOCABULARIO

aqua, -ae (f.)
atque: (*conx*.) e
atrium, -ii (n.)
cubiculum, -i (n.)
cum: (*prep. de abl.)* con
dormio 4
familia, -ae (f.)
fenestra, -ae (f.)
dominus, -i (m.): señor, dono
habeo 2
habito 1
hortus, -i (m.)
ibi: (adv.): alí
impluvium, -ii (n.)
liberi, -orum (m. pl.): fillos
magnus, -a, -um
multus, -a, -um
nam: (*conx*.) pois
ostium, -i (n.): porta
parvus, -a, -um
perystilum
plenus, -a, -um
pulcher, -chra, chrum: fermoso/a
quoque: (*adv*.) tamén
rosa, ae (f.)
servus, -i (m.)
soleo, solitus sum 2
ubi (adv.)
video 2
villa, -ae (f.)



2. Orfeo e Eurídice

Orpheus poeta feras cantu suo domabat atque magna saxa lyrae suavitate movebat. Eurydicam, pulchram feminam, in matrimonio habebat et multum amabat. Orpheus beatus erat, sed vipera Eurydicam in prato mordet et suo veneno propere necat. Eurydica in Inferos descendit. Orpheus in Inferos venit atque Eurydicam quaerit. Postremo Proserpinam canticis suis movet. Proserpina Eurydicam Orpheo reddit. Orpheus Eurydicam ex Inferis in terras ducebat et laetus erat. Orpheus ad Inferos respicere non debebat, sed retrorsum respicit. Tunc Eurydica in Inferos rursus descendit atque ibi perpetuo manet.

VOCABULARIO:

amo 1: amar
atque (conx.): e
beatus,-a,-um: feliz
canticum,-i (m.)
cantus,-us (m.): canto
debeo 2: deber
descendo, -cendi, -scensum 3: baixar
domo 1: domar
duco, duxi, ductum 3: levar, sacar
Eurydica,-ae (f.): Eurídice
femina,-ae (f.): muller
fera, -ae (f.)
habeo 2: ter
ibi (adv.) alí
Inferi,-orum (m.): Infernos
laetus,-a,-um: contento
lyra,-ae (f.): lira
maneo 2: permanecer
matrimonium,-i (n.)
mordeo 2: morder
moveo, movi , motum 2: mover
moveo, movi, motum 2: conmover
multum(adv): moito
neco 1: matar
Orpheus,-i: Orfeo
perpetuo (adv.): perpetuamente
postremo (adv): finalmente
pratum-i (n.): prado
propere (adv) rapidamente
pulcher,-chra,-chrum: fermoso
quaero, quaesivi, quaesitum 3: buscar
reddo, -didi, -ditum 3: devolver
respicio, -spexi, -spectum: mirar cara atrás
retrorsum: cara atrás
rursus (adv.): de novo
saxum, -i (n.): pedra
suavitas,-atis (f.): suavidade, dozura
suus,-a,-um: seu/súa
tunc (adv.): entón
venenum,-i (n.): veneno
venio, veni, ventum 4: chegar
vipera,-ae (f.): víbora

3. A fundación de Roma

Romulus et Remus, Martis filii, urbem Romam condiderunt; sed Romulus fratrem necavit, quod muros novae urbis violaverat. Ita Romulus primus Romae rex fuit. Pastores et agricolae regionis primi urbis incolae fuerunt. Sed Romulus reliquique Romae incolae mulieribus carebant. Itaque legatos in finitimas civitates miserunt et viros feminasque vocaverunt ad magnum ludorum

spectaculum. Sabini cum liberis ac coniugibus convenerunt. Ubi omnes ad ludos attenti erant,

iuvenes Romani virgines sabinas captaverunt et secum duxerunt

VOCABULARIO

ac (conx.): e
agricola, -ae (m.): labrego
attentus, -a, -um
capto, -as,-are,-avi,-atum: capturar
careo,-es,-ere, carui: carecer de.. (+ ab.)
civitas, -atis (f.): ciudad
condo, -is, -ere, -didi,-ditum: fundar
coniux, -iugis (f.): esposa, cónxuxe
convenio, -is, ire, -veni, -ventum: acudir
duco,-is,-ere, duxi, ductum: conducir, levar.
femina,-ae (f.)
filius,-ii (m.)
finitimus,-a,-um: limítrofe, veciño/a
frater, fratris (m.): irmán
incola,-ae (m.): habitante
ita (adv.): así
itaque (conx.) :así pois
iuvenis, -is (m.): mozo
legatus,-i: legado, embaixador
liberi, -orum (m.pl.): fillos
ludus,-i (m.): xogo, espectáculo
magnus,-a,-um
Mars, Martis (m.)
mirus, -i (m.):
mitto,-is, -ere, misi, missum: enviar
mulier, -is (f.)
neco,-as,-are,-avi,-atum: matar
novus,-a,-um
omnis,omne: todo
pastor, -is (m.)
primus,-a,-um
quod (conx.): porque
regio, -onis (f.)
reliquus;-a,-um: demais, restante.
Remus,-i (m.)
rex, regis (m.):
Roma, -ae
romanus,-a-um
Romulus,-i (m.)
Sabinus, -a, -um: Sabino/a (antigo pobo do centro de Italia)
secum <se + cum

sed (conx.): pero
spectaculum,-i (n.)
ubi (conx.): onde ||cando
urbs, urbis (f.): ciudad
violo,-as,-are,-avi,-atum
vir, viri (m.)
virgo,-inis (f.): moza
voco,-as,-are,-avi,-atum: chamar, convocar

4. Saturno e a Idade de Ouro

Saturnus in Olympo per multos annos regnavit, sed Iuppiter, filius suus, contra patrem bellum movit. Iuppiter post maximam pugnam patrem vicit et ex caelis Saturnum expulit.

Primus Saturnus in Italiam venit, genus altis montibus dispersum composuit et Latinos agrorum cultum docuit.

Ex illo tempore sub rege Saturno illa aetas aurea fuit. Poeta Ovidius sic celebrat: homines sine lege, sponte sua, vitam agebant; timor non illis erat et sine vindice bonum rectumque faciebant; nondum fossae oppida cingebant, nec tuba milites ad pugnam congregabat, nec matres bella et gladios cruentos horrebant.

Tellus, illa sola, optimos fructus hominibus ferebat; non boves, non tauri terram arabant. Ver erat aeternum et placidi Zephiri flores arboresque auris tepidis mulcebant; flumina iam lactis, iam nectaris currebant et mella flava de ilice dura stillabant.

5. O lobo e a vella (adaptación de Esopo)

Lupus esuriebat et circum agricolarum casas errabat et cibum quaerebat. Casae femina puerum, filium parvum, increpabat: "Puer parve, cur ploras? Tace; si non taces, lupum vocabo et lupus te

vorabit", dicebat vetula puero. Lupus circum casam feminam audiebat et gaudebat. Erant tenebrae: puer iam non flebat, sed dormiebat. Tunc vetula puero dicebat: "Si lupus venit, necabimus lupum". Et lupus tunc dixit: "Si vetulam audio, non manducabo et mortuus ero".

6. Corvus et vulpes (*Adaptación Fedro con comp. e superlat.)*

Corvus caseum rapuerat et in altissima arbore sedebat. Corvus caseum in ore tenebat. Tum vulpes caseum vidit et corvo dixit: "corve, tu es fortunatissima avis, nam es pulchrior quam pavo, nigrior pice. Si habes vocem dulciorem quam lusciniae vocem, tunc avium rex eris".

Corvus beatissimus et laetissimus os aperuit et caseus ex eius ore cecidit. Vulpes caseum cepit et ridens dixit: “corve, tu es stultissima inter omnes aves”.

7. Orión

Orion iuvenis erat pulcherrimus et venator peritissimus eiusque corpus robore et magnitudine omnes reliquos heroes excedebat. Ideo Diana eum suo comitatui delegit eique magnos honores in regia sua dedit. Superbia autem ei causa interitus fuit. Uno die, post fortunatam venationem dicebat: "Maximus venator sum atque nulla est in montibus fera neque leo in silvis, qui me vincere potest". Dum haec verba dicebat, parvus scorpio pedem eius momordit et Orion necatus est.

Diana, maestissima ob optimi venatoris mortem, Orionem in caelum transportavit atque inter stellas collocatus est. Ibi inter sidera fulgida micat.

8. O labirinto de Creta

Theseus Minotaurum gladio occidit et filum Ariadnae secutus exitum labyrinthi facile repperit. Mox navem solvit et cum filia regis profectus est. Minos, quamquam celeriter navigavit, non tam celer fuit quam Theseus neque eum consequi potest.

Tum, rex iratus cepit Daedalum, qui filum confecerat et Ariadnae dederat, eumque in labyrinthum includi iussit una cum eius Icaro filio. Daedalus in labyrintho inclusus cum filio suo intra muros errabat nec exitum invenire poterat, etsi ipse labyrinthum aedificaverat. Quoniam igitur aliae viae clausae erant, ille vir audax per aera effugere constituit.

9. Final da Guerra de Troia

Per decem annos Graeci cum Troianis pugnaverant. Graeci Troiam saepe oppugnaverant. Sed oppidum expugnare non potuerant. Graeci magnum equum ligneum fecerunt, in quo multi viri armati intus latebant. Equus ante portas Troiae collocatus est, sicut donum deae Minervae. Graeci autem deponere arma simulaverunt atque in insulam Tenedum, proximam Troiae, navigaverunt.

Dei inmortales Troianos deseruerant. Igitur Troiani crediderunt dolis Graecorum. Moenia aperuerunt atque magnus equus intra moenia acceptus est.

